

## ASTRAGALUS ZINGERI SP. N.

AUCTORE

S. Korzchinsky.

A. (Vesicarius) suffrutescens, caulibus 15—50 cm. longis, erectis vel adscendentibus, superne sulcatis, pilis bicuspidatis albis dense obtectis, inferne argenteis; stipulis e basi triangulari ovato-lanceolatis extus albo-pilosis; foliis 5—8-jugis, foliolis oblongis v. lanceolatis obtusis canescentibus subtus pilis adpressis obsitis, supra glabriusculis; pedunculis folio multo longioribus, spicis abbreviatis subcapitatis 10—20-floris, interdum elongatis 20—40-floris; floribus albidis, bracteis lanceolatis membranaceis, extus adpresse albo- et nigro-pilosis, tubo calycis triplo brevioribus; calyce tubuloso turgidulo, demum rupto, nec aucto, pilis patulis flavidis dense obtecto nigrisque plus minus (praecipue ad dentes) intermixtis, dentibus tubo triplo brevioribus acutis lanceolatis nonnihil curvatis; vexillo alas fere aequante vix emarginato, supra basin angulatam angustato; ovario albo-piloso 20—26-ovulato, legumine calycis tubum bis superante dense albo-lanato pilis nigris interdum immixtis.

Species ex affinitate *A. vesicarii*, *albicaulis* et *medii*, characteribus notatis tamen distincta mihi videtur. Sat polymorpha apparet,

formas enim tres observavi, quae transitus varios offerunt neque rite secerni possunt.

*Forma capitata*: caule 15—20 cm., foliis 5—7 jugis, foliolis oblongis v. oblongolanceolatis, 10—15 mm. longis, 4—7 mm. latis, spica subcapitata 10—15-flora, ovario circa 20-ovulato.

*Forma spicata*: caule 25—40 cm., foliis 6—8-jugis, foliolis (maxima ex parte) lineari-oblongis, circa 18 mm. longis et 4 mm. latis, spicis elongatis 20—40-floris, ovario 20—24-ovulato.

*Forma latifolia*: caule usque ad 50 cm., foliis subsexjugis, foliolis oblongis, 30 mm. longis, 10—16 mm. latis; spica elongata, ovario 26-ovulato. Unicum specimen possideo.

Habitat in collibus calcareis apricis ad utramque ripam Wolgae mediae: prope pag. Schiriaëwo Buerak (gub. Simbirsk, distr. Sysran) et Zarewschina (gub. Samara). Cum floribus fructibusque immaturis 23—24 Junii 1885.